DE PERFECTO PRAELATO IN ECCLESIA DEI, SVMMARIVM.

Auctore Hieronymo Manfredo Bononienſi
Iureconſulto, Cæſenæq; Præfecto.



De Superiorum Licentia.
CAESENAE.
Bartholomæus Rauerius, Excudebat.
Anno M. D. XIIIC.

AD
HIERONYMVM
MANFREDVM CAE-
SENAE PRAEFECTVM.

Camilli Antentij Carmen.

MVSA ſupplex Manfredi ad limina docti,
Cæſenam iuſto qui regit imperio,
Sique vales quicquam præcibus contende, clientes
Ipſe ſuos inter me numerare velit.
Hoc mihi ſi exores, ſpretis, quos Craſſus habebat
Theſauris, feriam vertice ſumma poli.
Qui te, quærenti, mittat, dic eſſe Camillum,
Illum qui tota mente, animoque colit:
Quid ceſſas? inculta quod es prodire vereris?
Aude, nil vſquam mitius inuenias.
Sic Deus innumeros hic illum ſeruet in annos
Sic Sixtus Quintus munera ad alta vocet.

AD SIXTVM QVINTVM PONTIFICEM MAXIMVM.

CVM Superioribus annis de Perfecto S. R. E. Cardinale librum in hominum lucem, atq; aſpectum edidiſſem, quo in libro omnes, tùm Egregias virtutes, tùm præclaras Cardinalium actiones explicaui, vnum illud duntaxat mihi reliquum videbatur, vt de virtutibus aliorum, quæ S. E. Prælati nominantur, quàm poſſem diligentiſsimè verba facerem, Quòd quidem equum eſſe, atq; honeſti rationem poſtulare planè cognoſcebam, Meæ .n. partes erant pro incredibili in omnes Cardinales, cæteroſq; S. R. E. adminiſtratores animi mei propenſione, vt hunc quoq; laborem honeſtiſsimum quidem, nec prorſus inutilem multis fortaſſe neceſſarium, ac mihi ipſi non

iniucundum libentiſsimè ſuſciperem, eoq; magis, quòd tu Beatiſsimè Pater, non caſu aliquo in hæc tempora incidiſti, & Pontifex Maximus electus, ſed diuinitus è Cælo tamquàm Chriſtianæ pietatis, & perfectionis exemplar delapſus videris, cum ad Vniuerſam Chriſtianam Rempublicam componendam, ac in veterem dignitatem vindicandam, tùm verò ad premia virtutibus, ſupplicia autem vitijs proponenda, quibus rebus, vt te non fugit, tota Reipub. ratio continetur, In hoc igitur opuſculo, quàm potui carptim de Perfectis, vt aiunt Prælatis egi, idq; Maieſtati tuæ conſecraui, vt tu militantis Eccleſiæ Caput, Paſtorq; in virtutibus fouendis, quas tui animi altitudo quotidie nobis ante oculos proponit, nos, vt potè gregis tibi comiſsi oues ad perfruendam D. O. M. gloriam deducas ſempiternam Vale. Pridie Non. Aprilis. Anno M. D. LXXXVI.

Sanctitatis tuæ.

Humilimus Seruus.

Hieronymus Manfredus.

HIERONYMO RVSTICVTIO DECIO AZZOLINO

CARDINALIBVS, AMPLISSIMIS.

Hieronymus Manfredus S.

AMPLISSIMI Patres Deus Optimus Maximus Vos Principes, & Cardines orbis perfectos, & beatos fecit ex cre ſapientis, cap. p. Creauit .n. vos, vt eſſetis omnia in vobis, memores, quod de vobis dicit Dominus, in Hier. cap. 2. Ego autem te plantaui, vineam electam, quamobrem ſplendidiſsimis viris pro onere vobis iniuncto ad amplificationem, & Maieſtatem Rom. Eccl. congruit illud Pauli pronunciatum ad Timoth. Epiſt. cap. 2. obſecro igitur primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in ſublimitate con-

conſtituti ſunt, vt tranquillam vitam agamus in omni pietate hoc .n. bonum eſt, & acceptum Coram Domino Saluatore noſtro, Ideoq; vos monet Deus quia ſui eſtis, cum Paul. ad Timoth. 2. omnia ſuſtinens propter vos electos perfectoſq;, vt ſalutem conſequamini, cum eodem ad Rom. 2. Quapropter, vt hoc noſtro expoſuimus ſummario iuſtitiam, & veritatem ſequimini abnegantes Carnalia deſideria, Vnde de vobis prodit Paulus, ſi quis autem emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſacrificatum, & vtile Domino ad omne opus paratum, quoniam bene operamini in vinea Domini, beneq; recipietis à Domino Geneſi 4. cum Paul. continuò exclamantes, in reliquo repoſita eſt vobis Corona Iuſtitiæ, quam dabit vobis Dominus in illa die, Iuſtus Iudex, & datum eſt vobis igitur patribus Religioſiſsimis noſſe miſterium Regnum Dei, nobis autem ſubditis in parabolis, Matth. 4. & eſtis quaſi tubæ exaltantes voces veſtras, enunciantes populis ſcelera mundi, cum Eſaia cap. 58. cum Paulo reminiſcentes, Quid habes homo, quod non accepiſti, & ſi accepiſti, quid glorieris, quaſi non acceperis, & propterea vos, qui eſtis tamquam lilia ſtilatia, mirrha, prima, & tamquam ſpecula ſine maculis, & tamquam

lucer-

lucernæ ardentes dabit vobis Deus gratiam, & gloriã, quoniã vos omnes in Vniuerſum Card. S. R. E. tùm in veteri teſtamento locum tenetis, Duodecim filiorum Iſrael, qui ab vno Patre Iacob geniti fuere Gene. cap. 31. Duodecim fontium aquæ viuæ in deſerto helim Exod. cap. 15. Num cap. 33. Duodecim lapidum præcioſarum in veſte Aaron. Exod. cap. 38. Duodecim Principum Ioſue, Ioſue cap. 4. Duodecim exploratorum iuſtorum ad explorandum terram promisſionis Num. 13. Duodecim bouum ſuſtinentium Mare Eneum Reg. c. 4. Duodecim præfectorum à Solomone, in Populum 3. Reg. cap. 4. Duodecim lapidum, quos tulit Hælias ex iſrael, vt edificaret, Altare Domino 3. Reg. cap. 18. Tum in nouo teſt. Duodecim ſtellæ, quas vidit Ioannes Apocal. cap. 22. Duodecim portæ Ciuitatis, quas vidit Ioannes Apocalip. 21. Duodecim fundamenta terræ. Ioannes, Apocalip. 21. & Duodecim Apoſtolorum cum Chriſto Regnantium. Apocal. 21. & cap. ſuper ſpecula de Magiſtris. Sicq; deniq; omnes vos huiusmodi nominibus, atq; prærogatiuis inſigniti Dei gratia eſtis theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi teſte Paulo 2. ad Coloſenſes, & cum Eſaia. eſtis etiam Reges ambulantes in ſplendore

dore hortus Domini Confitentes Ieſum Chriſtum Dominum Noſtrum coram Deo Patre, & hominibus Matth. x. & ſcientes in benedictione de benedictionibus metimini in alio ſeculo cum Paul. 2. Cor. 9. Valete.

Pridie Non. Aprilis. Anno M. D. LXXXVI.

DE PERFECTO PRAELATO

PARS PRIMA

IN VITA ACTIVA Summarium.

PRAELATVS in primis pareat Summo Pontifici tamquam parenti optimo eumq; ſicut membra caput obſeruet, ac Summum honorem ei exhibeat xxix. diſt. cap. ſi quis ex Epiſcopis de teſt. cap. licet de præbendis, & in cap. dilecto.

Prælatus in omnibus ſibi cōmiſsis vel à Papa, aut ab alijs maioribus liberè ſuam ſententiam proferat, cupiditatem omnem exuens, memor ſibi adminiſtrationem in Eccleſia fuiſſe traditam, vt præclare in ipſa ſe gerat, & vt publicam continuò ſalutem ſpectet C. bone il p. de elect.

C. V. de off. de leg. in 6.

Prælatus ſuo maiori integram præſtet fidem, & tamq; ſubiectus homo ſuo principi, & paſtori ex officio, & eius dignitate omnino eum obſeruet, optimoq; animo, cum eo coniunctus ſit oportet in adminiſtratione Eccleſiæ vinculo illo indiſſolubili caritatis, atq; pacis; neq; vllo modo ſuum maiorem, & principem debito honore defraudet, aut verbis, aut re ipſa, neq; obſtinatè, aut peruerſe ei contradicat temeritate, aut ſuperbia, neq; emulatione, aut inuidia alicuius obtrectatoris, quinimo præſtet quomodocunq; poſsit auxilium, & operam ſuam, Cap. vnico de ſiſm. & in cap. cum his, & ibi Archid. & Io. Monac. Io. Andr. in C. fundamenta de elect. & in cap. præſul. p. queſtio. 4.

Curet Prælatus antè omnia; ſi ſalutem propriam expetit, atq; pro viribus initatur, vt Petri ſedis in Romano collocato ſolio, ampliſsimam ſuam libertatem retineat in rebus gerendis, nec vlli pareat homini, quæ Chriſti verbo omnibus præpoſita eſt, cap. fundamenta de Elect. in 6.

Prælatus, vt officio ſuo ſatisfaciat, debet continue ſuo principi aſsiſtere, conſulere, opem ferre affectibus ſpoliatus omnibus, verita-

tem

tem ſolidam præ oculis habens, quid bonum faustum, felix, fortunatumq; ſit Christianæ Reipublicæ ſemper inquirens cap. vbi maius C. fundamenta de Elect. cap. 2. de off., de leg. Archid. Io. Monac; & Io. Andr. in clem. ne Romani de Elect.

Prælatus, non modo claris ſit natalibus ortus, ſed ſolida eruditioneq; virtutibus imbutus; eiusq; vita ſit ſanctitatis exemplar, in ceſſus, geſtus, habitus, corporis temperatus, grauis, & qui ſibi quandam reuerentiam exigat, ne vllis præbeat maledicendi, atq; aliquandò viuendi anſam, diuitiæ illius non ſint ad luxum, atq; fauſtum, ſed ad pietatem, erga pauperes, ad caritatem in tota vita exercendum, concordiam, atq; pacem colat, vt verè membra honoris, (hoc eſt Chriſti) exiſtat, qui Patrem præcipuè pro Apoſtolis ſuis orauit, ſic enim ipſe Ioannes xviij. Pater ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti michi, vt ſint vnum in fide, & concordia, tum ſubdit, notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectione qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis, & cum prælati in Eccleſia Deus eſſe velit, quibus onus Eccleſiæ incumbit, eos prudentes, ac ſimplices eſſe oportet, ne circumueniantur, aut deludantur; Ideoq; luceant iuſtitia, temperantia, fortitudine,

alioquin officio ſuo fungi nequeat, ſi ſuperbia tumeſcunt, inuidia roduntur, ita excendeſcunt, auaritia, aut quauis alia cupiditate, inflammantur, nec digni Prælati eſſe poſſunt huius vitijs affecti, oportetq; etiam eos non modo crimine carere, ſed etiam ab omni ſuſpitione longiſſimè abeſſe, ita deniq; ſe gerant, vt omnibus grati, & accepti ſint, quorum conſuetudine putant Prælati cæteris honeſtiores eſſe, ac meliores fieri poſſe, modo futurum vt bene pro Chriſtianis hominibus agatur.

Prælati officium eſt in Eccleſia magna fide, & ſumma conſtantia incumbere in adminiſtratio nem Chriſtianæ fidei, amplificationem, & pacem ad Dei optimi maximi gloriam pro veritate, atq; iuſticia res Eccleſiæ omnes gerere ad cõmunem illius vtilitatem, ſacra facere, concordiã, atq; pacẽ inter ſubditos ſibi omnes ſeruare.

Prælatus turpiſsimè delinquit, cum animum, aut ſtudium ſuum ad aliud applicat, quàm ad ſummi Dei honorem, & Chriſtianæ fidei amplitudinem, felicitatem, ac pacem totius Eccleſiæ, & neceſſario his vinculis alligatum eſſe oportet pro eius dignitate, nec vlli parcere debet labori, nihil iactura rerum extimanda eſt, ſed potius diſcrimen ipſum vitæ ſubeundum, ſi aliter cõmodè fieri nequeat cum diſpendio etiam

propriæ ipſius facultatis.

Officium etiam Prælati eſt honeſtis moribus, & integritate vitæ adeò elucere, vt tamquàm lumen quodam ſit, & exemplum omnibus præbeat manſuetudinis, bonitatiſq;, ſit conſuetudo illius iucunda, efficiat, vt vere apareat Chriſtianæ Eccleſiæ Prælatus, & columna præcipue dignitatis ſupra montem poſita, inceſſus deniq; ſtatus, veſtitus talis ſit, vt admoneat Chriſtianos homines ad recte agendum, quid enim perniciosius, quid, quod magis Deo diſpliceat, quàm, quem docere debeas, tu ipſe prauo exemplo ad malum elicere. Quanti refert cum dignitate in Eccleſia poleant, ſi eidem vitæ preſtantia conuenerit. Mirum ſane eſt, quantum omnium oculi illos, qui præſunt, reſpiciant, ſanctiores cæteris eſſe debent, qui primum honoris locum in Eccleſia obtinent, vt veluti Dij, qui illam venerantur, cum deſeruiant Rom. Eccl. quam ſine labe ad hunc uſq; Diem Chriſtus eius auctor, ſeruauit xxi. diſt. Cap. epiſc. xxiij. diſt. cap. in nomine Domini in Glo. ſuper verbo gremio.

Prælati verbum quodlibet debet eſſe perfectum, conſtans, & omni reprenſione carere, plenum prudentia, & caritate erga Deum, atq; proximos, nempè cum in Iudicijs fidem faciat,

vi-

videndum eſt, ne hæc illi tributa fides fallat homines in pertractandis Eccleſiæ negotijs, quæ ad ipſum pertinet C. nouit de Appell. & ibi Hoſt. C. quamvis de offic. Archid. C. ſuper de Heretic, & ibi Io. Monac, & in C. ad Appoſtolicam de re iudicata In. 6.

Prælati intereſt, diſſenſiones bella, ſimultates inter homines cōponere, req; ipſa efficere, vt perpetua pace Chriſtianus fruatur populus.

Prælatus legationes, & officia, quæ ſibi à Pontifice Chriſtianæ fidei cauſa, mandantur libenter ſuſcipiat, & vigilantiſſimum ſe in illis prebere debet, neq; labori, aut proprio ſumptui, aut gloriæ parcens, vt inter Chriſtianos homines eluceat, tamquàm lumen quodam extinctis cæteris, vt illius ſanctitas, atq; vita, & ſtatus ab omnibus collaudetur in vniuerſa Eccleſia Cap. p. & 2. cum notatis ab Archid. Io. Monac, & Ioannes Annan. de offic. leg. In 6. notatur in C. vbi maius de ellect. Io. 6.

Prælatus pro comperto habeat eius humeris niti ſua Eccleſia, cui præeſt verbo Dei præpotentis, in ſolio recti Iudicij ſedens, cum nox advenerit; benè, aut malè factorum ſententiam laturus eſt; tunc enim ratio reddenda erit, non modò de rebus; ſed mehercule de verbo otioſo, tunc ſimultationes, doli, & negligentia om-

omnis noſtra apparebit, & in primis illorum, qui alijs exemplo eſſe debent rectè agendi; quare videant Prælati, ad quos hæc ſcribimus, vt eorum Eccleſijs, quarum ipſi ſunt patres, & conſules rectè vtantur, caueantq; ab omni munerum corruptela, amore, ſpe, cupiditate, metu, aut quauis animi ſollicitudine prorſus exuti, magna humanitate ad id muneris accedant; quod ſi, ſecus fecerint, peccatum æterna dignum pœna, atq; maledictione diuina admittunt, luentq; facinoris huius pœnam corpore, atq; animo xxiij. diſt. C. In nomine Domini de elect. cap. vbi maius eod. tit. & in clemen. ne Roman. eodem, & ibi in glos. Hoſt. Card. Io. Andr. Io. Lign. Archid. Io. Monac, & Zangelinus in canon. 79. diſt. per totam, & in capitulo fons eſt, & in capitulo Cornelius 7. queſt. p.

Prælatus auctoritatem, atq; poteſtatem habet pertractandi omnia, quæ ad commodum ſuæ Eccleſiæ pertinent, pericula in ea, iacturam, diſſenſiones, quæ in ipſa minantur auertere, & ſi videat bona eius Eccleſiæ dilapidari, iura ammitti, aut quouis alio modo grauiora onera, & exactiones per tirannidem imponi, recurrat ad Summum Pontificem, ad quem iure pontificio bona Eccleſiæ tueri pertinet, cap.

non

non liceat 12. queſt. 2. c. Nos ſi in competenter 2. queſt. 7.

Prælatus debet eſſe ſcientia, & conſcientia decoratus, quia ſcientia ſine conſcientia diabolica eſt Bald. in L. ea lege C. de ſent. ex peric. recitand. Felin. in c. ex parte il 2. de off. de leg. conſcientia verò ſine ſcientia inſipida eſt, idem Baldus, & Felin. locis ſupra; ſcientia tamen in Prælato non requiritur eminentiſsima, ſed mediocris ſufficit cap. niſi in §. propter defectum extra de renunciat. & in cap. cum à nobis in glos. p. in verbo liberatur, & in verbo, eminentis de elect.

Prælatus ſit vita inreprenſibilis; vt candida veſtis indicans puritatem, & innocentiam præ ſe ferens Rom. cons. vltimo, ſitq; etiam ardens in fide, paratus ſi opus eſſet martirij pro Chriſto ſubire ſuplicium, idem Rom. cons. vlt.

Prælatus caueat, ne ſit draco ſtans iuxta arcam Domini cap. eligentur Epiſcopi 37. diſt. in eoq; ſit etiam ſingularis induſtria, explorata fides, morum maxima grauitas, & ſapientia Bald. in l. p. ff. de off. præfecti Præt. Iacobatius de conc. libro p. fol. 40.

Spectat ad Prælatum ſuſcipere omnem curam ſuæ Eccleſiæ, cap. coram; cap. querelam de elect. & in cap. p. de off. Archidiac. Hoſt.

in

in ſumma eod. titulo § quæ pertinent, nec po- teſt reprehendi, quod ſe immiſceat in re minime ad ſe pertinenti; ſed laudibus efferri debet quod laboranti Eccleſiæ opem tulerit, capitulo vbi maius in verſiculo vel niſi aliquod de elect. in ſexto; quinimo ad ipſum pertinet, vt conditiones illas, quas omnino obſeruare debet, vbiq; præſtet, eæ ſunt vnum erga Deum religio, cuiuſq; Prælati obedientia erga eos, qui præſunt 22. queſt. 4. in cap. qui ſe ſit queſt. 7. honor etiã minoribus exhibendus eſt, capitulo ſecundo de off. delegati in ſexto, & in cap. ad hæc 89. diſtinct. & etiam amor erga proximos 86. diſt. p. & propter ſanctitatem illius ſtatus.

Aduertat, Prælatus quod ſi obſtinato animo Summo Rom. Pontifici, aut alteri ſibi maiori parere noluerit, aut ab ipſo deſciuerit, ſanctaq; Rom. Sede, & re ipſa effecerit; vt ſit propè offendiculum Chriſtianis hominibus, aut ſi hereſes contra Eccleſiam ſuſcitauerit, ſine dubio dignitate Prælaturæ, & Eccleſia ſpoliandus eſt cap. ad ſuccindendas de ſiſmat. in ſexto ſcelus enim admittit, ethnico homine dignum, qui ſanctæ Rom. Eccleſiæ parere contemnit, Gregorius in cap. ſi quæ ſunt 81. diſtinct.

Prælatus non permittat in ſua Eccleſia peruerſas aliquas opiniones augeri, & conſeneſce-

reo (grauis ſiquidem ſæuit inueteratus morbus;) ſed euellendæ, pœnitus eradicandæ ex hominum mentibus, cùm autem hoc facit Prælatus, perficitur Petri doctrina, qui inquit ſeniores, & maiores, qui in vobis ſunt, vniuerſam Eccleſiam alloquitur, obſecro, cum ſenior, & teſtis, paſcite quantum in vobis eſt gregem, non grauiter, ſed libenter; æquo animo vt vult Deus, non turpis lucri gratia, ſed voluntariè, ideſt gratis conſulentes Eccleſiæ quotieſcumq; illi opus eſt, ita enim ab Apoſtolis factitatum legimus, vt Phariſeorum hereſim extirparent, cum Petrus ſolus minime poſſet, contra eorum nequitiam, & inſaniam Actu. xv. Phariſei autem nomen auctore Hieronymo nihil aliud ſignificat, quàm diuiſum, & fouens diuiſionem, ſciſma verò ſciſſuram valet 44. queſt. p. cap. ſciſma, quem locum ſic interpretatur Pontificia conſtitutio in cap. pro venerabili in §. rationis Ext. Qui filij ſint legit.

¶ Pertinet ad Prælatum, ne eius Eccleſia vllo afficiatur incommodo, & diligenter ſe ipſum præſtet, in illa adminiſtranda, quæ ſalutem, aut ſingulorum, aut communem reſpiciunt, ſeptima queſt. cap. quamuis, Sanctus enim Spiritus, quo auſpice Eccleſia regitur, atq; adminiſtratur vires ſuggerit cap. Sacroſancta. in fi-

ne 12. diſtinct. 3.

Quotieſcumq; Prælatus propter aliquod graue impendens malum negligat Eccleſiæ ſuæ occurrere, per quod illa periclitaret, tunc Summi Pontificis eſt omniſ, aut alterius ab eo delegati in eam curam intendere, ne quid Eccleſia detrimenti accipiat cap. fundamenta §. decet de elect. in ſexto; nempè ſi Prælatus animo abiecto extiterit, aut minimè idoneus Eccleſiæ tuendæ propter aliquam cauſam videbitur, tunc Pontifex Petri Succeſſor, ad quē præcipuè omnium totius orbis Eccleſiarum cura pertinet, prouidebit, vt Eccleſiæ vniuerſæ corpus integrum ſeruetur; non veriſimile eſt Chriſtum voluiſſe ſponſam ſuam Eccleſiam, cum magis illi opus eſt derelicta à ſuo Prælato, orbatam omni auxilio iacere; ſed Petrum præfuiſſe, vt omnibus orbis Eccleſijs opem ferret, eaſq; vſq; ad finem adminiſtraret cap. pro humani de homicidio in ſexto, & in cap. ne pro defectu de electione.

Prælatus, qui molitur iniqua contra ſuam Eccleſiam, aut contra ius, vel legem diuinam facit, ad eum pertinet Pauli Sententia ad Galatas p. Et ſi nos inquit, aut Angelus de Cælo euangelizauerit vobis præter quàm quæ vobis euangelizauimus anathema ſit xj. queſt. 3. cap.

ſi is qui, & ibi glos.

Prælatus, ſiue iuuenis, ſiue ſenex ſit, præceſſores Religioſiſsimos, præſtantiſsimosq; ſibi proponat, ad quorum exemplum, ſe totum confingat, etenim illud aſſequitur, vt nihil temere iudicet, nihil ſine magno, & perpenſo conſilio expediat, ſicq; in legendis optimis auctoribus verſatus fuerit proprium quodam, & laude dignum aſſequitur.

Prælatus non ſit de his, de quibus Salom. prodit prouerb. 28. leo rugiens, & vrſus eſuriens Prælatus impius Ezechiel. 22. Prælatus in medio eius quaſi lupus rapiens prædam, ſed ſapientiam acquirat Eſaias. 30. non vocabitur vltra his, qui inſipiens eſt Prælatus, vnde quæ digna ſunt Prælatus cogitet ſemper, ſapiens inquit. Eccleſiaſt. 9. in manu artificis opera laudabuntur ſic, & Prælatus in Sapientia Sermonis ſui.

Prælatus non habeat conſiliarios iniquos Eſaias. p. Prælati tui infideles ſocij furum omnes diligunt munera.

Prælatus caueat ab adulatoribus, quos minime audiat Heſter. 16. Aures Prælati ſint ſimplices, neq; mendaces audiant, quoniam cum Solomone prouerb. 25. Prælatus qui libenter audit verba mendacij omnes miniſtros habe-

bit impios.

Prælatus non det mala exempla, ne aduerſus ipſum ſententiam proferat Dominus, dicens tolle cunctos Prælatos, & cæt. Rex Dauid pſalm. 36. Inimici Domini, mox vt honorificati fuerunt & exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient.

Prælatus declinet à malo, & faciat bonum ſemper omni loco corde tenens Chriſti mortem, Mundi fraudem, Cæli gloriam, & inferni penam, & magis cogitet quæ ipſi deſint, quàm quæ alij adſint, cum bona agit mala acta recogitet, vt dum ante culpa conſpicitur numquam de bono opere incautè eius animus letetur.

Prælatus tueatur orphanos, & oppreſſos lxxxviij. deſtinct. cap. p. in gloſa not in l. 1. C. quando Imp. inter vid. & pup. quod pium eſt.

Coram Prælato ignominioſi non ſtet. Ang. in l. 2. ff. de his qui not. infam. fidem ne fallat, & quod deniq; dicit iuratum putet, Innoc. in c. ad Apoſtolicè de re iud. Mar. laud. de Principi. q. ccclviij. Iurans autem non deliberatè, ſed ita concitatus iuramento non obligatur ſecundum Iac. Butr. & Salic. in l. 2. C. ad leg. Iul. Maieſt.

Prælatus ſit bonæ conſcientiæ, quo ad Deū & bonæ famæ, quo ad homines mundi xxij.

Prælatus officia, atq; dignitates non conferat delinquentibus l. ſi quid C. de ſuſcept.

Prælatus cupiditatibus reſiſtat, quoniam vt Cicero inquit cupiditatibus præcipuè, & vitiis infici ſolet tota Ciuitas, ſic emendari, & corrigi continentia, & alibi, quò pernicioſius de repub. Chriſtiana merentur vitioſi Prælati, quòd non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea etiam infundunt in Ciuitate Paul. p. cor. 6. ibi non intueantur mulieres, vt concupiſcant.

Prælatus omnibus ſe præbeat benignum, atq; manſuetum, ante oculos ſemper habens, quod ſcribitur per ſapientem Eccl. xxxij. ſi rector conſtitutus es, non efforatis ſed cæteris te præbeas equalem.

Prælatus non ſit partialis, vni magis, quàm alteri fauens, ſed talis ſe oſtendat, vt apud ipſum non ſit perſonarum acceptio, rerum experientiam habeat, in quibus non moueatur precibus, amore, odio, nec auro diſt. 24. c. pauper & c. qui rectè q. 3. c. vendentes.

Prælatus non ſit ſeuerus, neo nimis clemens, ſed perpenſo iud. provt negotia expoſtulant, ſtatuat, in læuibus ſit pronior ad lenitatem, in grauioribus verò, ſeueritate cum benignitatis temperamento quodam vtatur, l. reſpiciendum

dum ſit de pœnis.

Prælatus iuſtitiæ officia benemeritis confe- rat, quoniam data eſt ipſi poteſtas à Domino, & virtus ab Altiſsimo, qui interrogabit opera eius, & cogitationes ſcrutabitur, vnde ſapiens de his prodit, cum eſsetis Miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, neq; cuſtodiſtis legem iu- ſtitiæ neq; ſecundum voluntatem Dei ambu- laſtis, horrendè, & citò apparebit.

Prælatus confidat in Domino quoniam omnia quæ petierit, ab eo accipiet, Ioan. xij. Adeat cum fiducia ad tronum gratiæ, vt miſe- ricordiam conſequatur, quod ſi fecerit gratiam inueniet in auxilio oportuno.

Prælatus non ſit anxius in diuitijs iniuſtis Eccl. cap. v. quoniam quid nobis profuit ſu- perbia? quid diuitiarum iactura contulit nobis? Solam. cap. v. vnde ſap. cap. v. bona vis ha- bere, & tu bonus eſſe non queris, erubeſcas de bonis tuis, ſi domus plena te malum habeat Dominum, Aug. de verbis Domini ſer. m. xij.

Prælatus cuſtodiat os ſuum, à maledicto, tunc ſeruet animam ſuam, & effuſa bona ſunt in ore clauſo, vnde ſapiens inquit pulcrum ta- citurnitas. Pitacus loquere pauca, Lucianus ſilentio non eſt opus in malis, Menander, lin- gua ſtulta dominum ſequiturq; Quid eximia

eſt

eſt virtus preſtare ſilentio rebus, vt contrà grauis eſt culpa tacendo loqui.

Prælatus timeat Dei horrendum Iudicium, legemq; diuinam obſeruet, atq; rectè agat, ſe genitum mortalē agnoſcens, quoniam in hora qua decedit Prælatus ex hac vita, non comitātur homo, neq; aurū, neq; argentū, neq; lapides prætioſi, neq; Margaritæ, ſed lex, & bona opera.

Prælatus ſit abundans pauperi, tolerabilis diuiti, infirmis largus, compatiens delicatis, fortioribus moderatus, pænitentibus miſericors, peruerſis ſeuerus, & tandem bonis optimus Vgo de clauſtro animæ lib. 1.

Prælatus ſuperbiam amputet, oderit luxuriam, abhorreat à mendacio, deſpiciat auaritiam, ipſa enim Patrem neſcit, Matrem ignorat, amicos perdit, & ſe ipſum relinquit, conſideretq; quid ſupra ipſum ſit, oculus videns, & auris audiens, & quod omnia facta in libro deſcribuntur.

Prælatus conſideret, & memoriam habeat ſemper, vnde venerit, quò tandem ſit abiturus, & coram quo oportebit eum reddere rationem, venit ex guttula ſordida, abiturus ad locum pulueris, & vermium, rationem autem reddet coram Principe omnium principum, qui eſt ſanctus Deus.

Præ-

Prælatus in ſermone ſit liber, nec ſenſa verbis operiat, quæ falſa ſunt, non pro veris tueatur, vera non vt falſa oſtendat; Gregor. liber x. moralium; nihil per oſtentationem fingens, ſed veritatem ſemper diligat Paul. p. cor. 4. & c. 2. cor. 7. & 8. Ephes 4. inquiens abdicat occulta dedecoris non ambulans in aſtutia, neq; adulterans verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendãs ſemetipſum coram Deo, nec dans vllam offenſionem & c.

DE PERFECTO PRAELATO IN ECCLESIA DEI,

SVMMARIVM In Vita Contemplatiua.

PARS SECVNDA.

IN primis Prælatus benè agat, querat Dominum, & ſperet in eum, pſalmus xxxix. c. iiij. quære Dominum, & quære ſemper faciem eius, quoniam beatus ille, cuius ſpes eſt nomen Domini, quia ſeruabitur Deo fidens in domino ſpem habent pſal. c. xxiiij. qui confidit in Domino ſicut mons ſyon non commouebitur in eternum.

Prælatus non confidat in principibus terræ, non in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. pſal. c. xvij. neq; in diuitijs; quoniam in ipſis perimus prouer. xj.

Prælatus non diligat mundum, nec ea, quæ

in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum, non eſt caritas patris in eo, quoniam omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ Ioan. p. cap. xj.

Prælatus induat totam armaturam Dei, vt poſsit ſtare aduerſus diaboli inſultus, atq; in die mala reſiſtere, aſſumens ſcutum fidei, quo valeat omnia mala illius ignea extinguere Paul. ad ephes. vj.

Prælatus obſeruet iuſtitiam, quia beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam Math. v. Iuſtitia eſt enim ſummum bonum colere, ac vnicuiq; iura ſua ſeruare 12. q. 2. c. cum deuotiſsima.

Prælatus imitetur Chriſtum Dominum noſtrum, humilitate, fortitudine, benignitate, & ſagacitate, humilitate cum Dauide dicente, vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, fortitudine cum Eſaia cap. l. poſui faciem meam, vt petrã duriſsimam, benignitate cum Paul. ad philip. ij. in ſimilitudinem hominum factus ſum, & habitu inuentus vt homo, & ſagacitate cum eodem Paul. ad Cor. iij. vt ſapiens architectus poſui fundamentum.

Prælatus exhibeat corpus ſuum, ſacrificium viuum, ſanctum, & beneplacitum Deo cum Paul. ad Rom. xij. ambulans ſpiritu, & affe-

ctum carnis reſpuens cum Paul. Galat. iij. quoniam an neſcis quod corpus tuum membrum eſt Chriſti Matth. v.

Peccatum non regnet in corpore Prælati, vt ſecundum concupiſcentias illi obtemperet, & cum Paul. ad Rom. vj. fugiat ſcortationem nempe ſcortatores, & Moechos Deus iudicabit Paul. v. ad Cor. v. ad Coloſs. iij. mortifica membra tua terreſtria, ſtuprum, immundiciam concupiſcentiam malam, & cæt.

Prælatus expendat peccata ſua conuertens ad Deum ex corde, in ieiunio, & fletu Iohe. ij. quoniam ait Dominus, & ego ad te conuertar.

Prælatus amiciat arma lucis abijciens opera tenebrarum, vt aſcendat in monte Domini, & vt ſtet in loco ſancto eius pſal. xx.

Prælatus comparet ſibiipſi gratiam, & nomen bonum in oculis Dei, & hominum, & curet boni nominis famam, ipſa nempe magis prodeſt, quam amplum theſaurum, ſapiens inquit magis expectandum eſt bonum nomen, quam diuitiæ multæ.

Prælatus ſuper omnia caritatem habeat, quæ omnium bonorum eſt radix D. Paul. & ſi linguis hominum loquantur, & Angelorum, caritatem autem non habeant, ſunt veluti Aes ſonans, aut Cymbalum, & cæt.

Prælatus amet inimicos ſuos, benefaciat his, qui odio proſequuntur eum, oret pro illis, & offendentes ipſos non perſequatur, vt ſit filius Patris, qui in Cælis Ioan. xiij. & xv. ſi quis Deum diligere dixerit, & fratrem ſuum odio habeat, mendax eſt, nam qui fratrem ſuum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo diligere poteſt?

Prælatus humaniter audiat pauperes, non auertat faciem ab eis, ut Deus ipſi faciem ſuam non auertat, ſed hilari vultu vbiq; ipſos recipiat.

Prælatus ſpem in opes inſtabiles non reponat, ſed in Deum, qui nobis omnia porriget affluenter Paul. 5. Tim. quoniam nouit, quod qui diteſcere volunt, incidunt in laqueos diaboli, atq; cupiditates, quæ demergunt homines in perniciem, melior eſt enim pauper ambulans in ſimplicitate, quàm diues in prauis intineribus, Solom. prou. cap. xxviij.

Prælatus afferat Domino gloriam, & honorem adorans illum in ſancto atrio eius pſal. xx viij. quoniam accedentes ad Dominum illuminabuntur pſal. xxxiij.

Prælatus caueat ab auaritia radice omnium malorum, cuius aliqui deſiderio capti à fide aberrarunt, & multis ſe ipſos doloribus impli-

cue-

uerunt, dolorum enim eſt ſeruitus xxiij. diſt. c. his ergo, cecitas appellatur hominum mentem excecans vt agenda non videat.

Prælatus non gaudeat quæſitis iniuſtis, quoniam nihil proderunt in die afflictionis, & prodit ſapiens multo magis damnum, quam turpe lucrum elligere, quippe illud ſemel duntaxat moleſtum, hoc autem perpetuum futurum eſt.

Prælatus non ſit auidus in omni epulatione, neq; ſe fundet ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis eſt infirmitas Eccl. cap. xxxvij. D. Paul. ad Rom. xiv. noli propter eſcam deſtruere opus Dei, omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt hominibus, qui propter offendiculum manducant, tales deniq; accipiat cibos, quos aut difficultate digerere, aut comeſtos magno pretio, & perditos habere debeat c. ne tales de conſac. & diſt.

Prælatus non moretur ad Dominum conuerti, neq; de die in diem differat, ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet nos Eccl. cap. v.

Prælatus glorietur in tribulationibus, & afflictionibus, ſciens, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem Paul. ad Rom. v.

Prælatus cautè ambulet, non quaſi inſipiens,

ſed

ſed ſemper ſapiens; redimens tempus, quoniam dies mali ſunt, intelligens ſapienter, quæ ſit Dei voluntas D. Paul. j. Cor. xiij. Sap. c. vj.

Prælatus gaudeat cum gaudentibus, fleat cum flentibus, eſurienti inimico offerens cibum, ſitienti potum, quæ cum fecerit, ipſe, carbones ignis ponet ſuper caput eius Paul. ad Rom. xij. Salo. prou. cap. xxv.

Prælatus abdicet occulta dedecoris, non ambulans in aſtutia; neq; adulterans verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendet ſemetipſum coram deo, nemini dans vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eius Paul. 5. Cor. iiij. & vj. 2. Cor. vij. & viij.

Prælatus pacem diligat cum Paul. ad Rom. xiij. & xiiij. obſecro autem vos fratres per nomen Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & ne ſint in vobis ſciſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia, & 5. Cor. xj. ſiquis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus; Deus patientiæ det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Ieſum Chriſtum; vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri; in pace enim vocauit vos Deus; quoniam non eſt

diſcen-

diſcenſionis Deus ſed pacis Idem Paul. 5. Cor. xij. & xiiij.

Prælatus reddat omnibus debita, cui tributũ, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, & cui honorem, honorem cum Paul. ad Rom. xiij.

Prælatus expurget vetus frumentum, ita vt ſiue manducet, ſiue bibat, vel quid aliud faciat in gloriam Dei ſemper agat cum Paul. 2. Cor. v. & ad Ephes. iiij. inquiens renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creati eſtis, in iuſticia, & ſanctitate veritatis.

Prælatus abneget impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè iuſtè, & piè viuens in hoc ſeculo expectans beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei Ieſu Chriſti cum Paul. ad Tit. ij.

Prælatus non afferat membra propria arma iniquitatis peccato, ſed exhibeat ſemetipſum Deo tamquam ex mortuis viuentem cum Paul. ad R. vj.

Prælatus in uirtuoſis ſit audax exemplo Ioſef abarimatia, de quo Mat. xxv. qui audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, & prodit Iob. in audacem virtuoſum cap. xxxix. terram vngula ferit exultat, audacter in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit

gla-

gladio.

Prælatus legem dei reuereatur ſemper, quia quicunq; honorat legem, corpus eius ab hominibus honore afficitur, Qui verò violat legem, eius corpus ab hominibus violatur, & qui ſibi comparat verba legis, vitam futuri ſeculi ſibi comparat.

Prælatus ſit fidelis, vt Dominus ſibi retribuat ſecundum iuſtitiam, & fidem ſuam Regum p. cap. xxvj. non ſit tamen ex eis (vt ait Paul.) qui verbis confitentur, ſe noſce Deum, factis autem negant, Io. Gregorius in Homeli. ſuper illud Matthei, qui verò non crediderit, & cæt. qui dicit ſe noſce Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, tunc enim veraciter fideles erimus, ſi quod verbis promiſerimus operibus præſtemus.

Prælatus ſit ad omnem fortunam inuictus, intentuſq;, non paupertas, non luctus, non ignominia, non dolor impetum facientes, non propterea pedem referat cum Seneca epiſ. lx.

Prælatus non expectet, quæ euenire non poſſunt, nec præterita recordetur, neq; iraſcatur, neq; extollatur laudatus; nihil quod enim penitere poſſit faciat, quæ acciderint, non admiretur, nihil etiam ita expectet, quaſi verò futurum Cic. 4. tuſc. lib. vltimo.

Prælatus caueat à mulieribus, quoniam (vt inquit Solomon) vinum, & mulieres depellunt ſapientes, non habeat oculos impudicos, quoniam oculi impuditi cordium impudicitiam arguunt.

Prælatus non lætetur calamitate, & inimici afflictione, ſed cognoſcat Dei manum, & iuditium, cur illum affligerit, omnes ſumus peccatores, nec quiſq; poteſt gloriari, & alteri ſe præferre luc. de pæna. l. p. C. de ſtud. liber Ro. liber xj. vnde ſapiens, cum ceciderit hoſtis tuus, ne gaudeas, & cum ipſe impegerit, non exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & diſpliceat oculis eius, & auertat ab eo iram ſuam.

Prælatus in coloquijs obſeruet modeſtiam, vt non ſolum praua, ſed nec recta quidem ſummo ordine proferat, quoniam ſæpe eorum quæ proferuntur, virtus perditur, cum apud audientium corda incautus ſermo opportunitate fit læuior, & auctorem ſuum idem coinquinat ſermo cap. ſit rector 45. diſt. 55. prouidendum.

Prælatus deponat oculos ſuperbos, cum Dauide dicente cum ſuperbo oculo, & inexplebili corde cibum non ſumpſi pſal. viij. & pſal. c.

Prælatus non iraſcatur, ſed alloquutus, humani-

manitei reſpondeat, quoniam aſpera verba iram concitant prouerb. 18. iratos fratres patiatur Paul. ad ephes. iiij. ignemq; gladio, ne fodias iratos, tumidosq; etiam animos maledictis non laceſſeris, & cum Paul. non vos vendicantes cariſsimi, ſed date locum iræ &c.

Prælatus non ſit corpore tantum caſtus, verùm voluntate, cum dicat Dominus, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam in corde ſuo, iam mæchatus eſt, continentia enim laude meretur, non quam neceſsitate abſtinet, ſed quam complectitur bona voluntas xxxj. q. 1. cap. ſicut enim.

Prælatus non ſit curioſus ad alienam exquirendam vitam, deſidioſus ad ſuam corrigendam cum Auguſt. lib. x. confeſsionum, neq; ſcire audeat ea, quæ Deus occulta eſſe voluit, quæ vero manifeſta facit, non negligat, ne in illis immerito curioſus, in his iuſtè inueniretur ingratus, cum Greg. Homel. xxxvj.

Prælatus caueat ab æmulatione obſeruans ſapientis dictum, filij ſi te lactauerint peccatores non acquieſcas eis: prouerb. cap. p. ſimulator, enim ore decipit amicum ſuum, vnde cogitet, quod multi eum beatum dicent, à quibus decipietur, Hinc Dominus, Iuda oſculo tradis filium hominis Luc. cap. xxij.

Prælatus non metu cuiuſq; poteſtatis veritatem occultet, memor quòd iram Dei ſuper ſe ipſum prouocat, melius eſt enim pro veritate ſuplicium pati, quàm pro adulatione beneficium accipere; potius etiam optet, a quocunq; reprendi, quàm ab emulante laudari Aug. lib. ij. cap. p. de Trinit. Beatus, qui non adulatur, nec adulatoribus credit, qui neminem decipit, non decipitur, quamobrem laudatoribus non credat, ipſisq; minimè aurem præbeat, cum Hier. ad Ruſticum monacum, Hinc Paul. pa Cor. xiij. Emulamini dona perfectiora, & ſapiens Beatus qui non audit conſilia impiorum, & in viam eorum non ſtetit pſal. 1.

Prælatus non detrahat alteri, quoniam, quis detrahit fratri ſuo, ac illum iudicat, legi detrahit, & legem iudicat cum Iac. in Epiſt. cap. iiij. Hinc diuus Hieronymus caue ne linguam, aut aures habeas punientes, aut alijs detrahes, aut alios detrahentes audias, & ea de cauſa, detractores non dilexit, quoniam repentè veniet perditio, tàm eius, qui detrahit, quàm eius, qui præbet aurem Hier. Epis. xxxiiij.

Prælatus non audiat res inanes, cogitans, quod de omni verbo otioſo, quod loquutus fuerit in die iuditij rationem reddet, vnde illud ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis con-

de-

demnaberis.

Prælatus induat viſcera miſerationis benignitatem, animi humilitatem, lænitatem, & clementiam; & talem ſe præbeat amicis, & proximis, qualis erga ſeipſum cupiat, cap. medicina de pænitentia diſt. p.

Prælatus ſit innocens manibus, & mundo corde, non accipiens in vanum animam ſuam, nec iurans dolum proximo ſuo pſal. xxxiij.

Prælatus non gignet diſcordias ſequens Domini dictum, omne regnum ſecum diſsidens deſolabitur, & Ciuitas omnis, ac familia aduerſus ſeipſam non ſtabit Matth. xij.

Prælatus paſcat eſurientes cum Eſaia lviij. dicente frange eſurienti panem tuum, potet ſitientes, cum Solomone xxv. ſi ſitit inimicus tuus potum da illi, veſtiat nudos cum domino Luc. 3. qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.

Prælatus recolligat hoſpites cum Paul. ad Rom. xij. hoſpitalem ſectatur, viſitet infirmos cum Iob quinto, viſita ſpeciem tuam; redimat captiuos cum D. Amb. xij. q. 2. cap. aurum, & ornatus ſacrorum eſt redemptio captiuorum.

Prælatus mortuos iubeat humari actuum viij. de Stefano lapidato, quem ſepelierunt viri timo-

timorati Eccl. vij. mortuo non denegabis gratiam.

Prælatus ignorantes doceat cum Paul. ad Rom. xij. qui docet in doctrina ſubueniat proximos.

Prelatus conſulat errantes cum Tobia. iiij. conſilium à ſapientibus ſemper inquire 129. ij. cap. pen. triſtes conſoletur cum Paul. 5. ad Theſſ. iiij.

Prælatus corrigat peccatores cum Domino Matth. xviij. in c. mouit de Iud. ibi ſi peccauerit in te frater tuus, & cæt.

Prælatus offenſiones remittat cum Luc. vj. dimitte, & dimittetur Matth. xviij. ibi ſerue nequam omne debitum, & cæt.

Prælatus ferat criminoſos cum Paul. ad Gal. vj. alter alterius onera portate, & pro omnibus exorans Deum, D. Iac. v. orate inuicem, vt ſaluemini.

Prælatus deniq; ſit probitate, modeſtia, virtute, religione, apud omnes celebris, habens domitas libidines, omnes coherçens cupiditates, ſicq; inſtructus animorum incendijs ſemetipſum optime regens iucundiſſime viuat, & ad vnguem omnium petitionibus pro egeſtate ſatisfaciat, non oblitus, quod profecto longè ſanctius eſt bonorum gratia etiam indignis miſere-

ſereri; quàm ob Indignos meritis exacerbare.

Prælatus reminiſcatur, quod nulla quidem re indiget Deus, ipſe verò ſolo Deo, hunc igitur, cui nihil deeſt, imitetur, miſericordiam implorantibus liberaliter perlargiens, & ſaluti ſuæ cuſtodiam exiſtimet tutiſsimam, nulla quidem ſubditorũ ſuorũ iniuria laceſſere; quoniã non iniuriari ſecuritatẽ cõciliat, longè magis, quàm munerum collata ipſius in omnes largitio, quæ & tranquillitatem generat; & dilectionem erga ſuos non amittit.

Prælatus ſitq; memor quòd nutu Dei in Eccleſia principatũ obtineat, ideo bonis operibus imitetur eũ; cũ inter eos natus ſit, qui beneficijs afficere poſſunt, non autẽ ex eorũ numero, qui vbertate indigent, ſtudeatq; etiam dare, cũ beneficentiæ opes inconſumptibiles ſint, diſtribuendo enĩ acquiruntur, diſpergendo congregantur, has munificentiſsimè retinens opẽ ab ipſo implorantibus abundè largiatur.

Prælatus ſit gratus, & facundus, in quo omnia eſſe facile pſpiciant homines, quæ cadere in prudentiſsimũ, & ſcientiſsimũ virũ poſſunt, qui quidẽ in difficilimis negotijs ſapiẽter, & grauiter agat cum principibus viris, & tam ad cauſas publicas, quàm, & priuatas obeundas ita animo, & conſilio paratus, vt clariſsimũ, & ſpectatiſsimum

mum Prælatum rerum gerendarum apellent.

Sitq; Prelatus literarũ eruditione, vitæ ſancti-moniæ, vt certatim ab õibus hominibus, cũ diligi, tũ venerari magnopere mereatur, cuiuſq; virtus, ac ſinceræ religionis inſignia nõ modo in triſecus ipſũ enutriãt, ſed delectabiliter claritatẽ nominis ſui beatificẽt, quod in ipſũ vndecunq; altiſsimæ mentis lumina conſpiciantur.

Prælatus ſitq; etiã vitæ integerimæ exemplũ, cæteriſq; virtutibus ornatiſsimus, omneq; eius cõſiliũ, cogitatũ, dictũ, aut factũ ad optimos mores conformans, ſicq; omnia referat ad dignitatem, ad gloriam Dei, & hominum.

Prælatus ſitq; etiam optimarum artiũ ſtudijs atq; omni liberali, dignaq; hominum inſtructione, doctrina, & modeſtia præditus.

Sitq; munificẽtiſsimus, qui ad adiuuãdos pauperes homines õe ſuũ ſtudiũ, ac operã conferat.

Prælatus ſit in omni officio diligẽs, qui ſuperatis impedimentis quibuſcũq; õia tandẽ facile cõſequatur, eluceatq; humanitate, mãſuetudine, religione, vt in tanto virtutũ genere is à nemine vincatur, ſummaq; etiam hominũ admiratione exercitãs aſſequatur, vt apetitus rationi pareat, vt quod omni loco, & tẽpore decet amplectet, & quod dedecet ſpernet, quò nihil eſt facilius.

L A V S D E O F I N I S.

mum

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBVS

D. D. FABIO MYRTO ARCHIEPISCOPO NAZARENO,

Ioanni Petro Ghiſilerio Prothonotario Apoſtolico, Cæteriſq; In S. R. E. Prælatis, & Moderatoribus Religioſiſsimis.

Hieronymus Manfredus S.

ECCE Vobis Amabiliſsimis Patribus, Vita, Moreſq; qui in Eccleſia miro admodum ſplendore, ac tamquàm meridiana luce vos reſplendeſcere faciunt. Et profectò condecet illos, vt qui cunctiq; candelabra terræ ſint, ſapientia, moribus, cuſtodia, ſcientia, omnibuſq; polleant virtutibus, vt cuncta quæ iis talibus iuſsit Christus, in vobis tamquàm hæreditarijs filijs immobiliter perſeuerent: Vt quidem ſicut Sal, quo cunctorũ genus hominum condi-

cia ingenijs lux, qua omnium fidelium fa-
cta clareſcunt, Ciuitas cuius ſtabilitate diabo li-
cis cuſtodimur à nexibus, Lucerna, qua maxi-
mo omnes illuſtrantur ſplendore, eſſe valeatis.
Quandoquidem ad hoc opus creauit vos do-
minus, vt ex iuſtis boniſq; operibus veſtris, in
vtraq; .i. actiua, & contemplatiua vita, corda
veſtra veluti in laborum ſolatio conſolidentur;
& demum requieſcant, vſq; quo ad Deum re-
uertantur dicentem. Venite ad me, qui prote-
ctor veſter ſū, qui inter vos pro veſtra erga me,
ac Summum Pontificem in Vniuerſa Dei Ec-
cleſia habito. Cum ergo Dei adminiſtratores
ſitis, in miniſterium electi propter eos qui he-
reditatem capiunt ſalutis, a vobis profectò vn-
diq; ſunt emittendi odores, vt nos in odorem
vnguentorum veſtrorum currentes, manife-
ſtiſsima; lucidiſsimaq; veſtra ſectantes veſtigia
præmia feliciter capiamus æterna, quoniam
nos qui a vobis ſpiritualia, ac temporalia me-
timur, vt oues in Paſtorum noſtrorum bra-
chijs, & ſicut oculi ſeruorum in manibus do-
minorum ſuorum poſiti ſumus. At cum certum
ſit in Dei Opt. Max. vos omnes, fidei Zelato-
rem Mardochæum ſequentes, ſemper permanſiſ-
ſe, conſentaneum foret, vt nos ſicuti Hæſter
quicquid a vobis iuſtiſsimis Patribus viſum
eſſet,

eſſet, omnimodo obſeruaremus: vt quemad-
modum ſub gallinæ alis fouentur pulli, ita nos fideles ſub alarum veſtrarum protectione poſ-
ſiti, ſpiritum iterum parturiamus ſalutis. Sit itaq; vos Religioſiſsimi Patres Dei Serui, qui ſtatis coram Domino audientes Iuſtitiam ſuam, & perfecti inuenti vt, hoc noſtro expoſuimus Summario, erit vobis gloria eterna apud Altiſsimum. Valete. Pridie Non. Aprilis. Anno M. D. LXXXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA IN SVMMARIO

Pagina 2. ira, non ita
Pagina 3. in fine ſimulationis, nõ ſimultationis
Pagina 11. perſequũntur, non perſequantur
Pagina 14. diligat, non dilexit
Pagina 15. nouit, non mouit
Pagina 16. obtinet, non obtineat